

Ill<sup>me</sup> et R<sup>ssime</sup> Dne.

Calamitas in quam ab ultimis meis ad Ill<sup>mam</sup> D.V. datis sine ulla mea culpa incidi cogit ut ad Ill<sup>mam</sup> D.V. recurram et obnixe flagitem per vulnera Christi ut mediante vestra apud Sanctissimum 5 auctoritate de causa mea per aliquem deputatum a Sua Beatitudine cognoscatur et eadem debito fine terminetur. Placuit quippe Serenissimo archiduci mense iulio proxime elapso mihi per Ill<sup>num</sup> Dominum de Bylly comitem de Ancoppes significare ut infra viginti dies omnibus eius provinciis excederem non amplius reversurus, cumque 10 mihi tale mandatum insolitum viderent praesertim ex eo quod princeps secularis in ecclesiasticum inauditum tam severam et cum aeterna infamia coniunctam ferret sententiam, advolavi ad aulam, neque audiri potui, neque causam vel accusatores cognoscere, neque mihi permisum est ut in carceres irem (quod sponte obtuli) ut inde 15 ad omnia obiecta responderem sub poena vitae si vel de minimo criminе contra suam Celsitudinem vel statum convinci possem, sicque incusso mihi vitae timore nisi parerem coactus sum in Galliam me recipere, indeque ad sacram anchoram Sedis Apostolicae confugere ut ab ea pro meritis recipiam. Si enim peccavi vel quicquam petravi contra piissimum illum principem vel eius statum, nec tremes nec mortem recuso; si autem innocens maledicorum falsis accusationibus impetus hanc gravem iacturam famae et bonorum cum ignominia familiae et ecclesiae honoratissimae in qua undecim annis cum honore resedi atque status ecclesiastici dedecore sustineo, 20 neque mihi permittatur causam meam dicere, nec mea calumnia vindicare, spero quod Sanctissimus Dominus amore iustitiae atque immunitatis ecclesiasticae quae in mea persona est indecore violata, erit mihi pro patre benigno et pio domino; fidelissime enim Sedi Apostolicae semper inservivi uti testari possunt Ill<sup>mi</sup> archiepiscopus Tarentinus et Dominus Malvasia qui in munere Nuncii apostolici in Belgio sibi mutuo successerunt, neque quicquam commisi quod

merito Serenissimum archiducem offendere possit. Quare Ill<sup>mam</sup> D.V.  
 obnixe rogo ut dignetur meam causam Sanctissimo Domino commendare,  
 ut restitutus honori pristino ecclesiae Christi quod hactenus sem-  
 per feci meam vitam consecrare possim. Quod si fecerit, augebit  
 suum apud Deum meritum et me atque universam familiam meam Ill<sup>mae</sup>  
 D.V. honori defendendo et praedicando obligabit. Deum Opt.Max. Ill  
 Ill<sup>me</sup> ac R<sup>ssime</sup> Domine summis votis precor ut vos ecclesiae suae  
 columem quam diutissime conservet et debitibus honoribus augeat. Rhe-  
 mis 23° octobris 1606.

10 Ill<sup>mae</sup> ac R<sup>ssimae</sup> D. V.

humillimus servus

Gulielmus Giffordius Decanus Insulensis.

-----  
 Ill<sup>mo</sup> ac R<sup>ssimo</sup> Dno suo  
 Observandissimo Cardinali

15 Bellarmino. (cachet)  
 Romam.